



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

Consultatio XXIV. De Thesauro inexhausto Satisfactionum Jesu Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509



CONSULTATIO XXIV.

De *Thesuro inexhausto Satisfactionum JESU
CHRISTI.*

Rogati sumus, ut accedere-
mus ergastulum, invisuri
miserum hominem, quem
indigere aiebant plurimum con-
solatione: Invenimus ipsum o-
neratum catenis in ergastuli fun-
do. Mi frater, compatior tibi, in-
structum te videns malè omina-
to hoc apparatu. Ecce veraris
in hoc statu? quid pro tuo fieri
potest solatio?

Imago pecca-
toris intra
manus justitiae Dei.

Eheu! miseriarum mearum
abundantia major est opinione
tua: maximis onustus sum de-
bitis, nec quidquam mihi bono-
rum est, ut exsolvam me illis,
nec est amicorum quispiam tan-
tæ erga me bonitatis, ut illa pro
me debeat: nihilominus res mihi
est cum creditoribus sævissimis,
qui nunquam exire me hinc pa-
tientur, quoad novissimum red-
dam denarium; torqueor igitur
vehementissime, quod nec boni
quidquam habeam, nec ulla af-
fulgeat spes liberationis meæ.
Verum infelicitas mea ad majo-
res adhuc me redegit angustias:
obnoxius sum plurimis enormis-
simis criminibus, quæ diluere mi-

hi est impossibile; potentibus
urgeo adversariis, plurimum-
que adversum me concitatis, Ju-
dices mihi sunt severi & inexo-
rabiles, tum in manibus ipsorum,
absque ullâ defensione, expecta-
re mihi aliud non licet, nisi mor-
tis sententiam & judicium sup-
pliciumque durissimum, sed nec
ejusdem explorata mihi est ho-
ra.

His dictis agebatur in despe-
rationem, at quidquid ipsi dici
poterat, ex nullo capiebat conso-
lationem; dumque ita summo
angebatur dolore, ingreditur ho-
mo magnâ spectabilis auctori-
tate, quem non agnoscebat, qui
cum ipsum aspiceret, magnâ mi-
feriarum ipsius commotus est
miseratione & ita commotus, ut
ex abundantia bonitatis absque
exemplo, liberaverit ipsum, se-
que posuerit in locum ipsius, vo-
luntariè se onerans omnibus il-
lius debitis, quin etiam cunctis,
quæ commiserat, criminibus.
Nemo facile exprimat gaudii ip-
sius de tam ingenti, tam subita,
tam insperata felicitate concepti
magni-

Felicitas in-
esperata.

magnitudinem, dum illico exoneratum se vidit cunctis debitis, restitutum libertati, & morte ereptum: nihilominus absque periculo non fuit amittendi vitam ex abundantia gaudii, quo abripietur, quoque exhauriebantur spiritus, & dilatabatur cor ipsius tantâ cum vehementia, ut mox expiraturum se crederet: affectus enim syncope cecidit intra brachia nostra, & mansit aliquanto tempore absque loquela & absque motu.

Aequus gratitudinis effectus,

Redditus sibi, projecit se ad pedes liberatoris sui, seque reponeere voluit in locum ipsius, cum sufferre non posset virum tantæ nobilitatis eousq; redactum pro homine nihili, qualis ipse. Sed non, dicit alter, sine me; vade, fruerè vitâ, bonis tuis, libertate tuâ, solùm memineris, quantum amem te. Exivit igitur nobiscum tam referto gratitudinis affectibus corde, ut verbis careret ad exponendum illos; erant nonnisi elogia, admirationes, adorationes tam incomparabilis bonitatis; concipiebat vota, moliebatur consilia, millies volebat mori pro ipso, credebatur eorum mundum debere eosdem secum concipere affectus, seque juvare in demonstranda grati animi exhibitione.

Bonus noster Ecclesiasticus videns ipsum ita dispositum, dicit illi: Aperi oculos tuos, infelix ho-

mo, somnium est id omne, quod vidisti. Quando sanctus Petrus liberatus fuit è carcere Herodis per manus Angeli, quando catenæ ex seipsis ceciderunt de manibus ejus, quando porta ferrea, quæ carcerem tenebat clausum, aperta est ei, & quando restitutum se vidit plenæ libertati in medio platearum civitatis, credebatur hoc omne nonnisi somnium esse, & nihilominus respectu ipsius maxima erat veritas; sed tu ex adverso ceu solidam credis veritatem id omne, quod factum est in te, & temet decipis, cum nonnisi visio sit & somnium.

Quod nos credimus veritatem, est sepe somnium.

Quomodo somnium? Non dormio, non deliro, non est hæc illusio; ecce enim liberum me à catenis, meo carcere, meis debitis, mortis periculo, cui eram proximus, fruor libertate, nullatenus est hæc deceptio. Somnium est, reperit Ecclesiasticus, tibi id iterum confirmo, id omne nonnisi est somnium. Non dico, quod verum non sit, te esse extra carcerem, te exoneratum esse tuis debitis, tuisque catenis, tibi que salvam præstitam esse vitam; sed appello hanc veritatem somnium, quamvis enim ipsa sit aliquid reale, nihilominus adducta in comparationem cum majori, majorisque ponderis veritate, quam non vides, minor est somnio illius, qui

non somnium
videtur esse
et hoc videtur
somnia

Parvæ veritates non sunt nisi somnia respectu magnarum.

in-



sonniet, se Regem esse, in comparatione cum veritate ejus, quod est reipsa. Somnium illius, qui dormiendo sibi imaginatur, se regem esse, est parum aliquid: est enim vera representatio alicujus felicitatis, quam putat se habere, quaque levi quâdam afficitur delectatione, quamdiu dormit & somniat. Sed fateberis mihi, illam nihil esse comparatam cum verâ felicitate ejus, qui verè sceptrum possidet & coronam.

Maxima nos-
tra felicitas
nobis est in-
cognita.

Sic omninò res tecum agitur. Præsens hæc, quæ gaudio te replet, felicitas, est parum aliquid: verum enim est, liberatum te esse à miseriis, quibus opprimebaris in hoc ergastulo, teque jam frui libertate. Verum jucundo oblectaris somnio, magnique illud facis, eòquòd dormias, quamvis vigilare te putes, & nondum oculos habeas apertos ad perspiciendam veritatem alterius felicitatis, quæ infinitâ ratione utilior est tibi, magisque è re tuâ; quæque, si illam vidisses, perfunderet te gaudio infinitâ ratione solidiore & copiosiore, quàm illo, quo perfunderis.

Homo ille attonitus, hæc audiens, sensit illicò magnam gaudii abundantiam, quâ abripie-

batur extra seipsum, tranquillitati redditus & quieti ex aspectu majoris alicujus felicitatis sibi promissæ, sicut splendor alicujus faculæ, quæ nostros offundunt oculos, absorbentur lumine solis, quandò hic nostrum subit hemisphærium. Quæ est ergò hæc magna felicitas, in cuius comparatione illa, quam possideo, non est, nisi somnium? Tu dicis, quòd non intuear ipsam, eòquòd dormiam & somninem. Amabo excita ergò me, aperi ergò mihi oculos, illamque ostende mihi.

Exin demonstravit ipsi Ecclesiasticus innumeras obligationes, quibus tenebatur obstrictus Jesu Christo, quòd ipsi liberaverit è captivitate, quòd ipsius diruperit catenas, quòd solverit ipsius debita, quòd eripuerit ipsum à morte, quòd unico verbo, traxerit ipsum ex abyssò miseriarum, in comparatione cuius illa, unde exierat, minus quid erat, quàm somnium; quòdque tandem comparaverit ipsi gloriosam libertatem filiorum Dei, respectu cuius illa, quâ tantopere oblectabatur, censeri non debebat, nisi levis quædam imaginatio. Et ecce quæ ratione exorsi fuerint discursum.

Minus gaudium absorbetur à majore.

ARGU.

ARGUMENTUM.

Infinita ratione obstricti eramus justitiae Dei, & Jesus Christus satisfecit pro omnibus nostris debitis.

ARTICULUS I.

Timentur rigores justitiae humanae,

CRedebas te miserum, dum captivus detinebaris in profundo ergastuli, oneratus catenis, quas dirumpere non poteras, oppressus debitis, quibus solvendis impar eras, eoquod longè tuas excederent facultates; & quod pessimum erat, accusatus plurimum atrocissimorum criminum, quae haud poteras inficiari: & in hoc statu cernebas te consignatum manibus severissimae justitiae, à qua expectare non poteras, nisi sententiam mortis, & mortis pœnosissimae: habebas profectò gemendi ansam, utpote dilapsus in profundissimam miseriarum abyssum, in quam dilabi possit infelix homo in hujus vitae decursu. Verùm quid sunt hæc omnia, nisi noctis somnia, quae transeunt & evanescent cum tempore.

Omnia mala, quae ipsa in se ferre potest, terminantur paucis.

Tandem enim non permansisses perpetuò in hoc carcere; ferrum illud, quod tanti ponderis tibi videbatur, nonnisi onerabat Corpus tuum, & anima tua nunquam non manebat libera; debita tua non erant infinita, nec consistebant nisi in amissione paucorum bonorum fragilium & caducorum; crimina

tua, quae constituebant maximum sarcinae tuae pondus, quaeque subjectum te tenebant cunctis justitiae humanae rigoribus, non poterant tibi majus afferre malum, quam corporalem tibi auferre vitam, quae aequè fueras spoliandus citius aut serius: toleranda tibi forsitan fuerant quaedam tormenta, quorum quanto major vehementia, tanto breviori evanissent temporis intervallo; & exin omnia dissipata fuissent haud aliter, quam somnium. Quot infelices ita clauserunt vitam ante centenos, ante quingentos annos? Et nunc ubi sunt hæc omnia, quae tunc videbantur tam terribilia? Nonnè sunt velut noctis somnia, quae evanescent?

Hinc est, quòd Jesus Christus, Veritas aeterna nobis dixerit in Evangelio: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant, sed timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam corpus & animam, ut torquantur ibi in aeternum. Et ut nobis hoc firmius inculcet, repetit & confirmat idipsum; *Ita dico vobis, hunc time.* Math. 10.

mete. Ita timete, timete justitiam magni Dei, viventis Dei; Ita, dico vobis, illam summè timendam esse.

Non nisi sola
justitia Dei in-
ferre nobis
potest mala
infinita,

Aperi ergò oculos & considera alias miseras infinità ratione majores, magisque deplorandas, quibus obruebaris: aliud ergastulum, alias catenas, alia debita, alia crimina, aliam justitiam, alia supplicia, aliam mortem, & omnia hæc insignita caractere æternitatis. O Deus! quando fit sermo de malis æternis, hoc percellere deberet horrore omnem hominem viventem in terris, obstrictum hoc barathro terribilium miseriarum; nihilominus id nemini inquit timorem, quia non percipitur à sensibus. Omnes homines non habent nisi sensus corporis apertos & vigiles ad dirigendum se, & judicandum de rebus; quamdiu dormiunt in anima sua, ratio semper sopita manet, fides est mortua, vel saltem manet oculis clausis; & in hoc statu nunquam vident magnas æternitatis veritates, quas sine intermissione aspicerere deberent, seque occupant vanis sensuum illusionibus, quas permagni pendunt & æstimant. Eheu! non sunt profectò hæc noctis somnia, quæ dissipantur & rediguntur in nihilum, comparata cum veritatibus æternis, solidis, certis, & infinità ratione ponderosis, quas ipsi ne

quidem percipiunt, vel si illarum meminerint per momentum & quasi per transfennam, aspiciunt illas velut somnia.

Ut igitur aperiã tibi oculos, teque agnoscere & fateri cogam, quòd miserix, quas non vides, & quibus obstrictus eras, quin id adverteres, tantum crudelitate & sævitie transcendant, has, quas patiebaris, quæque extorquebant tibi gemitus, quantum æternitas transcendit diem, quantum veritas superat imaginationem, quantum Deus supergreditur creaturam, id est, infinità ratione, infinità ratione, infinità ratione.

Responde mihi ad quæstiones meas, & fateri veritatem, cui contradicere non poteris. Nonne verum est, quòd omnis anima, quæ infeliciter obstricta est peccato, captiva sit justitiæ Dei? Nonne necessariò rationem reddere debet ante tribunal ipsius? Siquidem impossibile est peccatum semel commissum non puniri, aliàs Deus non esset Deus. Certum igitur est, quòd omnis peccator captivus sit, detentus intra manus justitiæ divinæ, ipsique impossibile sit semetipsum unquam inde extrahere. Sed ubi est carcer ipsius? Et hic horribilis supra id, quàm credi possit; siquidem moratur is in ergastulo tam profundo, quàm est ipsum nihilum, & nihilum profundius

Omnis peccator est captivus justitiæ Dei, oneratus catenis in abyssò carceris,

dius illo, unde Omnipotens Dei manus extraxerat ipsum, per creationem: siquidem id est peccatum ipsum, in quod prolapsus est, quodque ipsum redegit in nihilum, quamvis id non adverterit. Sanctus Rex David agnovit & confessus est hoc, quando liberatus fuit e fundo hujus barathri, suorum agens poenitentiam delictorum. *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Eheu! captivus eram in profundo carcere miserandi nihili, & illic omnia peccata mea catenæ erant, quibus constringebar, & quorum obruebar pondere; & sensus mei non percipiebant miserabilem statum, cui immerfus eram.

Psal. 72.
Peccator est captivus in perpetuum.

Peccator in statu hoc nonne deterius habet, quam habueras tu in profundo ergastuli tui? Siquidem tu ibi non eras, ut centenis illic maneres annis, & hic, ut inde exeat nunquam. An enim liberare poterit semetipsum? an peccatorum suorum propriis suis manibus dirumpet catenas? an quempiam inveniet sive Angelorum sive hominum, cui robur sit ad rumpendum illas, & restituendum ipsum libertati? quis diffitebitur, hoc absolute impossibile esse omni alii, quam Omnipotenti brachio Dei? necessario igitur oportet ibi manere ipsum veluti reum captivum, & volentem nolentem sustinere

judicium justitiæ altissimi. Ipsa est inexorabilis, ipsa observat omnia, ipsa examinat omnia, ipsa ponderat omnia usque ad minimum verbum otiosum. Et hæc omnia negari non possunt, cum sint totidem fidei articuli.

Quid exposcet ipsa ab hoc miserabili? Est is oneratus debitis & criminibus infinitis. Siquidem inprimis debet Majestati Dei reparationem honoris, & satisfactionem æqualem injuriæ ipsi factæ. Jam injuria hæc est infinita, cum verum sit, sicut excel-
D. Thom. 3.
p. q. 1. a. 2.
lenter discurret sanctus Thomas, quod magnitudo injuriæ suam desumat mensuram à magnitudine Personæ offensæ, quodque tantò major sit injuria, quantò major dignitate & nobilitate est Persona offensa. Ex hoc ergò sequitur, quod injuria facta Deo, qui Majestatis est infinita, injuria sit infinita, adeoque æquissimo jure reparationem requirat infinitam; & quando peccator non commisisset nisi unicum solum peccatum in tota vita sua; ecce ipsum jam obstrictum Deo satisfactione infinita. Unde accipiet, ex quo solvat debitum suum? Quando sacrificaverit totum suum esse, & esse omnium creaturarum incipiendo à primo Angelo, usque ad novissimum terræ pulvisculum, quid est omne, nisi parvum nihilum, infinita ratione in-

ferius supremâ DEI Majesta-
te?

Reparatio,
quæ est no-
va injuria,

Multò minus hoc est, quàm
si offenso Regi per insidias vitæ
ipsius factas, præsentaretur ato-
mus aëris pro totâ satisfactione.
An digna reparatio hæc foret
injuriæ? Nonnè potius injuria
foret nova magnum ipsius de-
monstrans contemptum, cum
quis crederet; se dignam per
hoc exhibuisse ipsi satisfactio-
nem? Jam dico, quòd cuncta
entia creata, & immolata Deo
pro reparatione unius duntaxat
peccati, multò minora sint re-
spectu offensi Regis: siquidem
distantia inter atomum & Re-
gem, qui tantæ videtur magni-
tudinis, non est absolutè infini-
ta, ambo sunt creaturæ prode-
untes ex eodem nihilo; sed dis-
tantia inter Creaturam & Deum
est infinita, & absolutè infinita,
& plus quàm infinita, si verbo
hoc uti licet, ad enuntiandam
veritatem, quæ nunquam ex-
primi potest in tota sua latitu-
dine.

Hoc totum non est, quod
solvendo non sit sua debita,
quòdque hæc sola obligatio ip-
sum perpetuè obstrictum tene-
ret catenis suis, & ergastulo suo,
cum ipsi absolutè impossibile
sit hac in parte præstare satisfac-
tionem. Verùm tot crimina
læse Majestatis Divinæ, quibus
aggravatus est? An negare po-

Peccator me-
retur mor-
tem æternam.

test, se esse reum? hoc ipsi est
impossibile. An sperare potest,
se evitaturum artificio quodam
judicium & rigorem justitiæ di-
vinæ? hoc ipsi adhuc magis est
impossibile. An expectare po-
test, recepturum se ab illa judi-
cium & supplicium levius & le-
nius criminibus suis? hoc ite-
rum est impossibile; siquidem
*Justus est Dominus, & recta judicia e-
jus.* Verùm si judicatur secun-
dum justitiam, pro peccato,
quod includit in se gravitatem
infinitam, eòquòd injuria sit
Majestatis infinitæ; ergò neces-
sario condemnabitur ad pœ-
nam infinitam, non in sua ve-
hementia & profunditate, cum
ipsius anima capacitatem non
haberet ad illam recipiendam,
sed in sua longitudine & dura-
tione; id est, quòd condemnan-
dus sit ad tolerandam mortem,
sed mortem æternam, quæ ip-
sum semper faciet mori, & mori
actualiter, sinè intermissione ip-
sum semper occidendo, & nun-
quam non trucidando in om-
nem æternitatem.

Quid tibi videtur de statu
ipsius? Nonnè formidabilis est?
nonnè idoneus, qui deficere
faciat stellas cœli, & conterat
in pulverem petras? Tu illico
horrore concuteris, dum aspi-
cis mortem corporalem aliquo-
rum momentorum, ignorans
horam, quâ sustinere illam de-
beas;

Psal, 118.

118.

Quàm terribi-
lis sit status
peccatoris in-
tra dentes æter-
næ.

beas; nihilominus id non est, nisi somnium noctis. Sed ecce terribilem sanè mortem, quæ non contenta occidere corpus, pugione ipsam configit animam, nec hunc ab eâ retrahit unquam. Ah! mors æterna, quantum tua sævit & debacchatur crudelitas! Ah! jam à longo tempore me mactas & occidis atrociter! an nunquam cessabis? Contine ergò saltem manum tuam per aliquot momenta, metámque pone crudelitati tuæ. Non, occido te ex sententia magni Dei viventis, qui vult, ut occidam te semper absque intermissione. Sed finem fac tandem me occidendi, & destrue me totum, teque satia, totam integram meam deglutendo vitam. Non, nunquam non occidam te, & occideris nunquam; morieris semper actualiter, & mortuus nunquam eris. Estne igitur hæc mors, cujus condemnabor ob unicum solum peccatum, quod læsæ majestatis est crimen? Est ipsissima, tu ipsam modò non vides, nec concipere potes, sed nec times ipsam; quia, cum illam nondum sentias, credis, eam esse nonnisi somnium; sed otium tibi erit videndi ipsam & sentiendi in omnem æternitatem. An sufficiat hoc tibi, ad percellendum te tremore?

Non, non, audi me, aliam Peccator sinebit tot habeo, quam tibi annuntiem, mortes æternas, quot sententiam: an nôsti, te non commisit satisfacturum unicâ solâ ejus- præcata. modi morte, si plurimum peccatorum obstrictus es reatu? Justitia humana, quam ita metuis, punire non posset quingenta crimina, nisi unicâ morte solâ, quæ licet severissima sit, non est tamen nisi mors brevis & transitoria. Sed Omnipotens justitia Dei multare probè novit sigillatim cuncta crimina, multiplicando toties mortes, quoties sua crimina multiplicaverit peccator assignando unicuique in particulari illam, quam pròmeruit mortem: si namque primum peccatum pròmeruit ex æquo, condemnari ad mortem æternam, an secundum peccatum, quod quandoque est magis enorme minorem prætendat punitionem? Et tertium non sit dignum suâ, & quartum, & decimum, & quinquagesimum, & centesimum, & sic de reliquis: quodnam ex omnibus judicatum & condemnatum in particulari dignum non est morte æternâ, quasi solum id esset in hac anima? Quot igitur commisisti peccata, tot mortes sunt æternæ, quas oportet te sufferre. Numera, numera sigillatim omnia, quæ commisisti peccata, si tamen eorum inire poteris numerum, & noveris,

liiii 2

quot

quot mortes aeternae subeunda tibi sint ex sententia severissimae justitiae Dei: Noveris certo, quod cum Deus infinita ratione sit justus, nec unicum peccatum etiam maximum relinquet impunitum.

Quid sit infirmitas humana sub Omnipotentia Dei.

Sed quando inieris hunc criminum tuorum numerum, & quamlibet mortem aeternam, cuilibet assignaveris peccato, videbis illico & unico intuitu totam legionem, exercitum integrum ex mortibus, quae te expectant armatam habentes pugione manum, ad exequendum adversus te justas sententias Dei Omnipotentis: tenta vires tuas & animum tuum, & pondera tecum ipse, an sustinere poteris omnem rabiem & crudelitatem unius duntaxat ex hisce mortibus. An id poteris, quin concutiaris? tu subsistes adhuc post centenos annos, & centies millenos saeculorum milliones, semper enim morieris. Ubi sunt tuae ad tolerandum id vires, misercule vermis terrae, qui contereris pede? infelix & emortuum folium, quod rapitur vento, an portare poteris universum pondus brachii Omnipotentis Dei? Abjecta stipula an subsistes ante torrentem ignis iracundiae altissimi;

Verumtamen te aspice, aspice statum tuum, si commisisti aliquod peccatum, vel plura

peccata, tu id nosti. conscientia tua id novit probe; si illorum te reum nosti; ecce debita tua, ecce crimina tua, tu solvendo non es, tu obstrictus teneris manibus justitiae magni Dei, tu evitare non potes condemnationem tuam; aperi oculos tuos, & vide id somnium non esse. Quid facies? defende te, ut poteris, tibi id permitto. Quid poteris facere? an dicas, te nec habere debita, nec crimina? dicis: negare non possum utrumque; Sed conscientia, quae millenos aequat testes, nimis quam alte clamat, ut me accuset: verum igitur est, & id concedis. Quid ergo facias? an tuo excas ergastulo? an proripias te e manibus Dei? sed quod ibis, ut sis extra illas? an annihilare voles animam tuam immortalem? sed frustra; oportet subsistere ipsam in aeternum. An speres, causam tuam non fore agitandam nec citandum te, ut compareas coram iudicio Dei? tam stupidus non es, ut hoc putes; comparandum tibi forsam quantocyus, cum nec diem noveris, nec horam; & fortassis hae lineae, quas hic legis, servient tibi pro citatione, & comparebis ibi intra paucas horas. Itane ergo tandem? an expectare poteris, te non fore condemnandum, cum scias, te & reum esse, & non esse solvendo?

Consideratio penitius ponderanda.

vendo? Non, siquidem te ipsum condemuabis, & conscientia tua, postquam egit accusatorem & testem, erit adhuc severus iudex, ut te condemnat.

Jesus Christus se posuit in locum peccatoris, ut ipsum liberaret.

Ecce statum maximè deplorandum, cui obnoxii erant omnes filii Adæ. Sed profundius adhuc descendebat miseriarum, quibus obruebantur, abyssus, quam dici poterat, & quamcunque in partem suos verrebant oculos, impossibile ipsis erat vel minimum spei aspiciere radium, sed desperationem, universalem, quâ involvebantur, quando Unigenitus Dei Filius ipsos è throno gloriæ suæ benigno intuens oculo ipsorum misertus est, & ex abundantia bonitatis suæ illis succurrere secum conclusit. Quamobrem è fastigio cælorum descendit invisurus ipsos in terris: amor ipsius triumphum agens de Majestate ejus, exspoliavit illum omnibus excellentiis suis, ipsumque reduxit eò, ut immergere se ipsum voluerit in illum miseriarum Oceanum, quo ipsos summersos videbat ut illos liberaret: ingressus insuper ipsorum ergastulum, totamque imensitatem suam parvo includens corpori humano, sese posuit in locum ipsorum: Ite, inquit, liberabo vos ab omnibus miseriis, quibus vos ita intueor immerfos: onero me vestris debitis, quin

& vestra in me suscipio crimina, respondebo pro illis & satisfactionem justitiæ Dei, rumpo catenas vestras, vosque restituo libertati.

Ah! Domine, quid agere statuis? Sed quâ ratione id fiat? Abundantia bonitatis JE-
Itrane infinitæ Majestatis Deus in su Christi er-
hanc te agas præcipitem anni- ga nos, quâ
hilationis abyssum, pro miseris extimulari
terræ vermiculis sceleratis, ini- debemus ad
micis tuis? Quæ verisimili- ipsum aman-
tudo, toleraturum te ista? me- dum.
lius foret, perire nos omnes.
Non, respondit ipse, permittite mihi onus debitorum vestrorum & criminum vestrorum, satisfaciam pro omnibus, miser ero, ut vos sitis beati: frui mini libertate, quam vobis restituo, frui mini vitâ, quam vobis tribuo; sed frui vos volo vitâ æternam beatâ; conferam vobis possessionem infinitorum bonorum in æternitate; & ex toto amore cordis mei suscipio omnia mala vestra, ut vobis elargiar omnia bona mea: solummodò memineritis, quantum vos diligam.

Homo hic recens egressus ergastulo, qui audiebat omnes hæc magnas veritates, quas pius noster Ecclesiasticus magno cum spiritûs favore explanabat ipsi, tantò magis oblectabatur illis, quantò magis dispositus erat experimento proprio, quo æstimare poterat infelicem statum hominis debitis & criminibus onerati,

rati, jamque totus commotus gratitudinis affectu erga bonitatem illius, qui se nunc primum ab ergastulo venerat liberare. Intelligebat probè, alias has animæ miseras infinitâ ratione magis esse deplorandas; hinc revolvens animo infinitam obligationem, quâ devinctus erat JESU Christo, quòd liberaverit se ab illis, ita se sensit commotum, ut altum exclamaverit lacrymantibus palpebris: Ah! Domine, quantum urges, quantum exstimulas cor meum! gaudebam de

somnio; sed tu me repleas gaudio infinitâ ratione majori, quòd illius mihi inducit oblivionem. Credebam ipsum, qui extraxerat me è meo carcere, esse hominem, cui maximâ, quæ excogitari possit, devincerer obligatione, mæque debere ipsi totum amorem cordis mei. Sed fateor, JESUM Christum hunc esse: Ita ipse est solus, cui omnia debeo. Tu me doce, quâ ratione ita satisfecerit pro me; audi, tibi dicam.

ARGUMENTUM.

Quâ ratione JESUS Christus satisfecerit pro debitis nostris, & pro cunctis peccatis nostris.

ARTICULUS II.

VOLUIT imprimis contrahere nobiscum necessitudinem arctissimam & cognationem tam constantem, ut absque eò, quòd observaret inæqualitatem partium, & infinitam inter te & nos distantiam, desponsaverit se cum natura nostra humana, tam forti vinculo se uniens illi, ut id nunquam in perpetuum sit disrumpendum; sed unione tam intimâ, ut, quidquid dicitur de connubiis, quæ non nisi unam eandemque rem constituunt ex personis hanc conditionem amplectentibus, non sit nisi unio quædam ficta in comparatione. Si quidem verum est, Filium Dei naturæ nostræ humanæ despon-

JESUS Christus
voluit esse
noster cog-
natus,

fatum in Mysterio Incarnationis, non esse reipsâ, nisi unam eandemque personam cum ipsâ.

Ecce igitur ipsum firmissimè obstrictum commodis familiaræ humanæ; & ex hoc momento duæ partes, quæ ineffabili hoc connubio in perpetuum sibi invicem sunt unitæ, tam plenam & integram possident rerum omnium communicationem, ut quòd est unius, sit etiam alterius, ut omnes infinitæ excellentiæ Dei, excellentiæ fiant hominis, & dici possit: Homo est Omnipotens, homo est æternus, homo est Creator mundi; & econtra omnes indigentia, omnes infirmitates & miseriæ hominis fiant in-

JESUS Christus
desponsans si-
bi naturam
humanam,
desponsavit
sibi cuncta ip-
sius debita.

firmitates & miseræ Dei, & affirmari rectè possit: Deus est pauper, Deus est impotens, Deus est passibilis & mortalis: despondendo se nostræ naturæ, despondat sibi omnia debita nostra, seque illis onerat, seque obstringit ad solvendum illa ex integro, illaque aspiciens veluti sua.

Admirabilis inventio Sapientie Dei, dum eandem Personam debitorem fecit & creditorem.

Verùm cui solvet omnia hæc debita, nisi sibi ipsi? Homo est, qui debet, & Deus est, cui debet: sed ipse uterque est; est homo, & consequenter debet; sed etiam est Deus, & consequenter est ipsemet, cui debet. Rupertus Abbas admiratur in hoc adinventiones divinæ sapientiæ, ad satisfaciendum plenæ justitiæ Dei, faciendo, quòd eadem persona debitor esset ac creditor, quòdque Jesus Christus Homo Deus esset uterque. Ipse debet infinità ratione velut homo; verùm si esset solùm homo, satisfacere non posset debitis suis, eòquòd nimis quàm pauper esset: Ipse est infinità ratione dives; sed si esset solùm Deus, non posset esse debitor, & consequenter nec deberet solvere, sed ò admirabile vinculum utriusque, quod nonnisi eandem facit personam è duobus! hæc ratione is, qui non debebat, factus est debitor, & is, qui solvendo non erat, factus est Omnipotens, ut satisfacere posset omnibus debitis suis. *Unus idemque Christus, inquit Rupertus, ut verus*

Rupertus lib. I. de divinis officiis §. 36.

Deus ab homine exigeret, ut verus homo persolveret. Hoc tangit ipsum solum, ipse obligatus est ad satisfaciendum cunctis debitis indigentis nostræ naturæ humanæ, quam sibi desponsavit.

Jam ipse hoc facere potest plenè & abundanter, eòquòd omnes actiones, quas faciet velut homo, futuræ sint valoris infiniti, cum actiones futuræ sint Personæ divinæ, & dignitas actionis mensurari debeat à dignitate Personæ facientis. Nonnè cernis, quomodo hæc conveniant optimè legibus bonæ justitiæ? Homo offendit Deum, & peccatum ipsius est malum infinitum, eòquòd sit injuria facta Majestati infinitæ. Et ecce modo Homo Deus reparat hanc injuriam per satisfactionem infinitam, eòquòd hæc reparatio sit facta à Persona divina, quæ Majestatis est infinitæ. Hæc pretio sunt paria: ille, qui offenditur, est Deus; ecce offensam infinitam; & ille, qui reparat offensam, est Deus; ecce satisfactionem infinitam. Ecce igitur æqualitatem omninò integram, & justitiam in toto rigore suo observatam, infinitum pro infinito.

Verùm dicas, rigorosa non est hæc justitia: nam si consideres Jesum Christum satisfaciendum Deo pro peccatis hominum, ut talis non est æqualis Patri suo, sed est ipsius inferior, ipsius sub-

Satisfactio æquivalens.

Videtur Jesus Christus non satisfecisse in rigore justitiæ,

ditus,

ditus, ipse servus, ipse supplex: ecce prostratum illum humiliter ad pedes ipsius velut reum, qui efflagitat misericordiam, æqualitas non est inter Dominum & servum, multò minùs inter Creatorem & creaturam; & deinde iustitia obligat æqualiter ambas partes eandem simul causam tractantes, juxta leges iustitiæ rigorosæ, sed Deus aliquâ lege obligari non potest. Impossibile igitur est, Jesum Christum satisfacere Deo pro omnibus debitis hominum, juxta rigorem iustitiæ, accipe enim illum ut volueris; velut homo est nimis infra Deum, nihil hîc adest æqualitatis; velut Deus nimium attollitur supra conditionem Reparatoris alicujus injuriæ: ipse non est facere satisfactionem, sed ipse est hanc accipere.

Qua ratione
Jesum Christum
verè satisfaciat
in rigore
iustitiæ,

Quid facis, dum ita loqueris? an dividere vis Christum, ut Deum colles ex una, & hominem ex altera parte? si hoc est, destrues ipsum, & non amplius habebimus Salvatorem. Ne separe, quod Deus conjunxit, ne solvas sacrum hoc connubium naturæ divinæ cum natura humana in Persona Jesu Christi, qui totus semper manet & integer. Invenies in unica Persona Dominum & servum, Creatorem & creaturam, supplicem & Deum, quem supplicat. Ipse igitur submittere se potest

Deo, ad reparandum injuriam, eòquòd ipsius sit inferior; sed potest id facere in toto rigore iustitiæ, eòquòd sit ipsi æqualis; & potest id omnibus modis, cum statuendum sit indubitatum hoc principium, quòd omnes ipsius actiones habeant dignitatem & valorem infinitum, utpote productæ à Persona divina. Jam quòd verè habet valorem infinitum. Satisficere sinè dubio potest, ad solvendum omnis generis debita, quantumvis maxima; & id, quòd dignitatem habet infinitam, rejici non potest, velut indignum.

Pono, quòd verum sit, Deum obligatum non esse ad recipiendum satisfactionem, quamvis hæc æqualis esset offensæ, cum concedi debeat, quòd Deus nec stringi nec obstringi possit aliquâ lege, nisi illâ, quam imponere voluerit sibi ipsi, per aliquam sese obstringens promissionem. Sed nonnè toties obstrinxit se per promissiones suas, de recipienda satisfactione à Messia, quem missurus erat, ut esset Salvator hominum? loquens de ipso in Vate Isaia dicit: *Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo: Et paulò inferius. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.* Et adhuc in Isaia: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Sed quando tam solemnes non dedisset pol-

Isa. 42. v. 1
v. 6.

Isa. 53.

Deus obstric-
tus est pro-
missione, de
recipiendis sa-
tisfactionibus
Jesu Christi.

pollicitationes, quâ ratione non accepti esset satisfactiones illius, qui Deus est Majestatis infinitæ, qui humiliabat se ante ipsum, ut præstaret ipsi homagium, cum impossibile sit illi exigere majorem honorem pro reparatione contemptus ab hominibus accepti? quâ ratione repudiasset meritum actionum Filii amore infinito à se amati, cum impossibile sit illi recipere aliquid sibi gratius ab ullo altero? siquidem nec unica fuit ex actionibus ipsius, cujus infinita non fuerit dignitas, valor & meritum.

Quæ differen-
tiâ inter me-
ritum & satis-
factionem JE-
su Christi.

Quam differentiam tu collocas, interrogabat hic homo, inter meritum & satisfactionem? suntne hæc duo diversa? an separari possunt in actionibus Jesu Christi? non, inquit ipsi Ecclesiasticus, non est nisi infinitus valor sanctissimorum ipsius operum, qui modo appellatur meritum, modo satisfactio. Quando hic valor offertur Deo ad acquirenda nobis bona supernaturalia, & præcipue bona æterna, quorum indignissimi sumus, appellatur meritum; & quando idem hic valor servit ad liberandum nos à peccato, nosque custodiendum à pœnis æternis, quarum ob peccata nostra eramus digni, vocatur satisfactio: videtur igitur unum respicere cælum, ad comparandum id nobis, & alterum respicere infernum ad redimen-

dum nos ab illo: meritum nobis consignat possessionem bonorum; satisfactio nos liberat ab oppressione malorum. Sed ambo, meritum & satisfactio, inseparabilia sunt in actionibus Jesu Christi: ubicunque meretur, etiam satisfacit, & ubi satisfacit, etiam meretur, & ambo, quæ infinita sunt, pari passu ambulant.

An igitur satisfecit & promeruit per omnes actiones vitæ suæ, satisfecit & an solum per aliquas? per omnes, promeruit respondet Ecclesiasticus. Incepit continuo à jam ab introitu suo in mundum: primo instanti liquidem primum opus, quod fecit, sicut scribit sanctus Apostolus Paulus ad Hebræos, erat offerre sacrificium voluntarium sui ipsius Deo Patri suo pro Redemptione peccatorum; & tam accepta ipsi fuit hæc actio, ut ipsa sola suffecisset ad sanctificandum nos omnes. Hinc est, quod sanctus D. Thom. 3. Thomas, & omnes Doctores Catholicæ docebant, quod Jesus Christus, cum habuerit perfectissimum usum rationis suæ & libertatis à primo conceptionis suæ instanti, in sinu divinæ Matris suæ fecerit ex eo velut primum Altare sacrificii sui, ubi immolavit corpus, animam, & vitam, quæ acceperat, devovens se voluntate efficacissimâ velut victimam morti, in reparationem gloriæ Dei Patris sui, & in satisfactionem pro omnibus peccatis hominum; quodque ex hoc

Kkkkk

mo-

momento meruerit pro seipso exaltationem Nominis sui, glorificationem sui corporis, & pro nobis gratiam ac salutem. Et exin continuando eundem hunc actum, & eandem hanc intentionem, cunctis momentis vitæ suæ, & signando omnia opera sua eodem hoc caractere, continuaverit semper meritum suum infinitum, non faciendo totâ vitâ suâ nisi sacrificium perpetuum, quod consummavit tandem in Cruce, quodque absolvit cum vitâ suâ, dum exspiravit: dicens *Consummatum est.*

Totus vitæ
Jesu Christi
cursus non
fuit nisi con-
tinuum sacri-
ficio meri-
torium & sa-
tisfactorium.

Revolve totum decursum vitæ ipsius, & videbis hunc aliud non fuisse, quàm continuum sacrificium, ubi immolavit gloriam suam per contemptum, quem nunquam non sustinuit, vivendo in conditione paupere, manens incognitus & abjectus coram oculis mundi, velut novissimus hominum: sacrificium continuum, ubi immolavit sacrum corpus suum per millenos cruciatus, jejunia quadraginta dierum & quadraginta noctium in tristi eremo, absque sumptione ullius cibi, super nudam cubans terram, tenuiter vestitus, nudis ambulans pedibus, vel ad summum vilibus cum sandaliis: sacrificium continuum, ubi condemnavit omnes sensus suos ad mortificationem nunquam intermissam, ducens vitam adeo

austeram cum Apostolis suis, ut, quando fuit quæstio de cibandis tot millenis personis, quæ secutæ fuerant ipsum in desertum, ad audiendum divina ipsius verba, indagari debuerit, quænam ipsorum fuerit provisio: Et inventum fuit, ipsos aliud non habuisse, nisi quinque panes hordaceos, & aliquos viles pisciculos. Ecce igitur totam abundantiam, totam pretiositatem, totamque magnificentiam supremi hujus mundi Monarchæ: Sacrificium continuum, ubi sanctam suam privavit Humanitatem gloriâ ipsi debitâ per continuum quoddam miraculum totâ ipsius productum vitâ, quodque nunquam interruptum fuit, nisi paucis momentis Transfigurationis ipsius in Thaboræo vertice, ut innocens caro ipsius idonea esset ad sufferendû dolores, & horribiles cruciatus, quos sceleratissimi fuissent promeriti: Sacrificium continuum, ubi immolare voluit ipsum dimidium animæ suæ, id est, partem ipsius inferiorem, quam velut prædam reliquit expositam timorij, dolori, tædio, tristitiæ, à quibus ita se passus est obrui, ut ex his se moriturum crediderit in horto Olivarum: Sacrificium continuum, ubi consummavit vitam suam, sine intermissione benè faciendo omnibus, & incessanter quoque ab omnibus recipiendo malum, injurias, abjectiones, reprehen-

hensiones, calumnias, persecutio- nes, injustitias, dolores & denique mortem.

Et hæc ultima fuit omnium ipsius sacrificiorum consummatio, quæ etiam ultimum adjecit cum- mulum infinito thesauro merito- rum divinarumque satisfactionum ejus, ubi sanctissima ipsius Huma- nitas tota perforata & tota lacera- ta in Cruce, solvebat Deo Patri suo omnem summam, quæ ex integro nostra delere debebat debita. Re- gius Propheta hæc ori ipsius inse- ruit verba: *Conscidisti saccum meum.*

Psal. 29.

S. Augustin. serm. ult. de tempore.

Tu ò Omnipotens manus iusti- tiæ Dei Patris mei lacerasti tan- dem saccum meum. Et ex hoc at- tollit sanctus Augustinus cogita- tiones nostras, & nostram exsti- mulat fiduciam: *Non tibi vilescat, quod ait, saccum meum, ibi erat inclu- sum pretium tuum, in passione conscis- sus est, conscidit saccum lanceâ persecu- tor, & sudit pretium nostrum Redemp- tor;* Et omnes pretiosæ divitiæ ipsius, quibus plenus erat, effusæ sunt super nos, nihil enim pro se reservavit; non indigebat ipse nec meritis, nec satisfactionibus pro propria persona sua, nobis igitur omnia sua donavit bona, omnia nostra in se suscipiens ma- la. O misericordia infinita! ò bonitas nullis arctata limitibus in- munificentia sua. Quodnam cor non atteratur affectibus gratitu- dinis & amoris, aspiciens saccum tuum sic in-fructa concissum, ut

Quomodo Jesus Christus solverit inte- gram summam debitorum nostrorum in Cruce.

evacuet & exhauriat se, ut depau- peret se omnibus, illudque locu- pletet?

O mi Jesu! quam dives sum ex bonis tuis, modò me disponam ad recipiendum illa, quæ tam li- beraliter effundis e Cruce, quam conscendisti ex amore erga me! siquidem hic invenire est saccum, qui includit omnes tuos thesau- ros cœlestes; discissus hic est, dum sanctissima Humanitas tua tota est perforata, tota discerpta, tota dilaniata; nil amplius continere potes, oportet te omnia effunde- re super nos. Sed ad recipiendum pretiosas has gratiarum tuarum, meritorum tuorum, & satisfactio- num tuarum; divitias, acceden- dum mihi est ad Crucem tuam, & ego illam fugio, cum perpeti nec minimum velim. Video ef- fundi illas per vulnera, adeoque per vulnera quòque recipere illas oporteret; & ego illis amore tui sauciari nolo, quamvis te ipsis vi- deam coopertum amore mei. O Jesu patiens, promerens & ope- rans salutem nostram in Cruce! qui nescit tecum pati, nescit ubi sit pretiosus thesaurus, quo locu- pletare se possit in aternitate.

Jesus Christus effundit nobis suas gratias per vulnera; illas nos quo- que per vul- nera recipere oportet.

Ecce pulcherrimos sanè affec- tus, reponit homo noster noviter erga stulo egressus. Sed, ut verum fatear, non intelligo te ad eò bene. Tu dicebas, quòd Jesus Chri- stus tantam fuerit erga me bonitatem, ut onerari voluerit omnibus meis

Dicere, quòd Jesus Christus passus fuerit, ut nos à pas- sione faciat immunes, est opinio hære- tica.

Kkkkk 2 debi-

debitis, ut posuerit se in locum mei, ut toleraverit pro me, quod tolerare debebam ceu supplicium meorum criminum, quodque tandem satisfecerit plenè pro me, & etiam superabundanter; & modo dicis, quod oporteat me, quoque pati cum illo. An igitur satisfaciendum est mihi ipsi? Quid ergò juvat, ipsum passum esse pro me, si adhuc puniri debeam, cumque ipso pati? Est idem ac si mihi diceres: revertere & redi ad eum, qui extraxit te è tuo carcere. Vah! cur posuit se illuc, si illuc esse non velit? Et similiter, cur Iesus Christus pati voluit in Cruce amore mei, nisi ut ego non patiar?

Quid inquis, reposuit ipsi subiracundè Ecclesiasticus? probe adverte, colloquium tibi fuisse cum quopiam hæretico, teque ip-

fius afflatum veneno perversam aliquam concepisse animo sententiam: siquidem homines ejusmodi carni & sensibus prorsus addicti, ut arceant à se rigida pœnitentiæ opera, egregiam hanc protulere in medium Philosophiam, quod, ut plus honoris attribuatur Iesu Christo, permittere oporteat ipsum pati solum, absque eo, quod cruciatuum ipsius aliquam nobis assumamus partem, quod permitienda sit ipsi soli satisfactio rota, citra id, quod & nos admoveamus manum; & idèò sugillant rigores vitæ austeræ & actus pœnitentiæ, quos nuncupant satisfactioes humanas, quibus homines prætentant salvare seipfos, quique injuriam faciant Passioni Redemptoris. Oportet tibi demonstrare hujus errorem, teque docere.

ARGUMENTUM.

Quâ ratione necessarium sit, ut satisfaciamus ipsimet cum Iesu Christo & per Iesum Christum pœnæ peccatis nostris debite.

ARTICULUS. III.

Nostra salus
non est opus
Dei solius.

Sunt quædam, quæ facit Deus solus absque concursu nostro veluti magnum opus Creationis nostræ; non expetiit ipse consensum nostrum, ut extraheret nos ex abyssò nihili, fecit id ipsemet ex sola bona voluntate suâ, nosque nihil ex parte nostrâ hic addidimus. Sunt autem & alia, quæ facimus nos soli absque concursu Dei, veluti peccata; monstra hæc

sunt opera solius nostræ malæ voluntatis, ex parte suâ nihil hic contribuit Deus. Alia insuper sunt, quæ Deus non facit absque concursu nostro, quæque etiam nos facere non possumus absque concursu Dei, veluti est ingens opus salutis nostræ. Hoc est effatum S. Augustini tam exploratû, ut in omnium versetur ore: *Qui S. Augustin, creavit te sine te, non salvabit te sine te.*

Quan-

1. Cor. 3.

Quando S. Paulus ad Corinthios scripsit, quòd simus coadjutores Dei, non solum dicere volebat, quòd ipse ex officio Apostolatùs sui navaret cum Deo operam conversioni peccatorum, sed quòd quisvis ex nobis sigillatim posset & debeat se dicere coadjutorem Dei respectu propriæ suæ salutis, eòquòd nunquam hanc Deus solus operaturus sit absque concursu nostro.

Verum est quidem, nos facere nil posse absque JEsu Christo, sicut ipsemet nobis declarat in Evangelio: *Sine me nihil potestis facere.* Non dicit: *Sine me non potestis nisi parum quid facere;* sed nec parum nec multum. Absque ipso facere nihil possumus, cum omnis nostra potentia proficiscatur ab ipso solo, qui est omnipotens. Sed verum quòque est, quòd ipse nil facere possit absque nobis pro obtentu salutis nostræ, eòquòd necessariò requirat consensum nostrum, concursum nostrum, cooperationem nostram, sine quâ ipse, quamvis Omnipotens sit & infinita ratione dives in misericordia, nunquam alicujus operabitur salutem. Et si liber voluntatum nostrarum concursus necessarius non esset, si nonnisi requireretur pro salute nostrâ voluntas Dei, cur omnes homines non salvarentur, quin periret ullus? Nonnè ipse vult salutem omnium? nonnè mortuus est pro omnibus?

nonnè meritus est, nonnè satisfecit pro omnibus per magnum Passionis suæ sacrificium? Et nihilominus non omnes salvantur, eòquòd sola voluntas Dei non sufficiat pro salute hominum: requirit ipse consensum & concursum voluntatis illorum; & quia plerique hunc denegât, plerique damnantur ex sola culpa sua, contra voluntatem JEsu Christi, qui ipsorum volebat salutem.

Certum igitur est, quòd magnum opus salutis peccatorum absolute dependeat a concursu duarum voluntatum, illâ Dei, & illâ hominis. Illa Dei est causa primaria & principalis, illa, quæ subministrat omnem virtutem necessariam pro magno hoc effectu: sed illa hominis est causa secunda, quam recipere oportet sacros motus, influxum & virtutem causæ primæ, hancque impendere ad concurrendum vere cum illâ ad eundem effectum; & concursus duarum harum voluntatum ita necessarius est, ut una absque alterâ efficiat nihil. Si Deus nollit, impossibile esset homini operari salutem suam, etiam si hanc vellet ex parte suâ; & si homo quòque non velit, Deus nunquam operabitur salutem ipsius, quamvis id faciendi habeat voluntatem: requiritur concursus Dei & hominis, estque opus, ut amborum voluntates conveniant, simulque agant, aliàs efficietur

Requiritur concursus duarum voluntatum ad operandum salutem nostram.

Kkkkk 3

cietur

Nihil possumus facere absque JEsu Christo, nec ipse salvare nos potest absque nobis.

cietur nihil. Posito hoc tam indubitato principio, ut nemini de eo liceat dubitare.

Quid sit concurrere cum Jesu Christo ad salutem nostram.

Quæso te, considera, quid sit concursus vel cooperatio duarum causarum. Nonne hic est, quod quando operatur una, operetur quoque altera eodem tempore & per eandem actionem. Ecce tibi, quid proprie & essentialiter constituat concursum, & extra hoc nil aliud. Necessario igitur concurrere nos oportet cum Jesu Christo ad opus salutis nostræ, si perfici id volumus; oportet agere cum illo, quod agit ipse ex amore nostri. Non ergo verum est, quod permittere debeamus, ipsum agere totum solum, ipsum laborare & pati totum solum abs eo, quod nostram adjiciamus manum operi: cooperandum est nobis, id est, conjungere debemus nos ipsi, ut faciamus, quod facit ipse, pro salute nostrâ; alias dicere non possumus, nos vel parum cognoscere magnas obligationes nostras, nosque vel leviter scire, quomodo laborandum sit serio pro salute nostrâ.

Non oportet permittere, ut Jesus Christus laboret totus solus.

Quid agis, Domine, per omnes hos labores pœnosæ vitæ tuæ? Es pauper, fatigaris, jejunas, oras, consolaris, adjuvas omnes miseros, toleras injurias, contempnus, dolores, tota vita tua plena est cruce & afflictione. Ecce hæc omnia divine Redemptor! Me totum impendo ad ope-

randum salutem vestram. Age, mi amabilis Salvator; nil mihi incumbit, nisi ut agere te sinam, etsi ego quidquam operis non adjiciam; tu satis es potens, ut agas solus & perficias magnum hoc opus; injuriâ afficere infinitam tuam potentiam, si apponere & ipsi vellem manum. Tu satis es dives, ut suppedites solus omnem hanc summam, quæ necessaria est ad solvendum cuncta mea debita, & satisfaciendum pro omnibus meis noxis: exponerem despectui immensos thesauros tuos, si apponere & contribuere illis aliquid vellem ex meo. Tu satis bonus es, ut ipsemet solus facere velis omnia; cum infinitâ ratione sis misericors; infinitam tuam offenderem bonitatem, si negotio, quod moliris ipse, meam impenderem curam; non nisi fruendum mihi est quiete, tibi que relinquendum totum opus salutis meæ.

Verum an ignoras, quod licet præcipue tua à me dependeat ^{Non salvat} salus, non tamen dependeat ^{Jesus Christus} à me nisi eos, qui ^{nisi eos, qui} unice, quodque, si operer ante te, ^{applicare sibi} quodque operari oporteat post me ^{volunt fructus} & mecum? An nescis, quod licet ^{moris} voluntatis meæ sit salvare omnes, omnes tamen non salvem, sed solum eos, quorum voluntas concurrat & cooperatur cum meâ; quodque nunquam aliquis suam operatus sit salutem, nec illam operari possit, absque eo, quod

quòd ipsemet admoveat manum: nihil tu facere potes absque me, sed nec ego facere quidquam possum absque te: ego inexhaustos possideo thesauros meritorum & satisfactionum plus quam sufficientium ad solvendum debita tua, & satisfaciendum etiam superabundanter pro omnibus, hominibus, qui exire possent è nihilo per Omnipotentiam Dei: servo ipsos tibi apertos, illosque offero omnibus; nunquam tamen solvi pro aliquo, nisi tantum pro iis, qui voluerunt huc suam porrigere manum, ut solverent ipsimet unam eum è propriis bonis meis.

Verum est, præstitisse me redemptionem copiosam, magisque abundantem, quam opus sit ad salvandum centenos millenos mundorum; sed omnia, quæ feci, tibi nil proderunt, nisi eorum quoque accipias partem; & partem eorum accipies nunquam, nisi cooperatus fueris mecum, id est, faciendo mecum id, quod vides fecisse me pro salutè tuâ: portavi crucem, oportet hanc te quoque portare; jejunavi, ploravi, penitentiam egi; oportet te hæc quoque facere, fui pauper, abiectus, persecutionibus oppressus; talem te quoque oportet existere; unicum meum negotium in terris fuit, tuæ invigilare salutem, contemnendo cætera omnia velut crepundia, meque dies ac noctes omnium cum charitatis fervore im-

pendendo unico huic necessario, ita te agere quoque oportet: & hoc proprie appellatur cooperari, & contribuere ex parte tuâ, quod debes, operi salutis tuæ. Et verbo unico cooperandum est cum Salvatore tuo: sinè tuâ enim cooperatione nunquam pertinges illuc. O quam pauci hoc capiunt idioma!

Loquimur libenter de abundantibus divitiis, quas Salvator acquisivit nobis passione suâ: aspicimus cum gaudio immensos & inexhaustos thesauros gratiarum, meritorum, satisfactionum, qui fructus sunt dolorum & mortis ipsius; & quando nobis dicitur, hæc omnia nostra esse, summo demulcemur solatio, cum divites evadamus in æternum. Sed quando admovenda est manus, ut illa nobis ipsis applicemus per actualem participationem afflictionum & laborum, qui protulerunt totum hunc ingentem thesaurum, tunc sumus frigidi, sumus ignavi, retrahimus manus, non nisi oculos habemus ad illum aspiciendum, in ipso complacemus nobis, ipsumque admiramur. Vah! quid prodest hoc nobis? Quid prodesset pauperi totâ vitâ suâ maximum quemdam aspexisse thesaurum? an ex eo foret ditior? si nunquam mitteret in illum manus suas, nonnè semper maneret pauper in se ipso, aspiciens interim extra se magnas divitias, quarum nullam haberet partem. Ita,

libenter aspicimus thesauros Jesu Christi, non libenter mittimus manus in illos.

Non applicantur fructus Passionis Jesu Christi per solam fidem.

Ita, dices, assentior, applicanda nobis esse merita & satisfactiones Jesu Christi, ut profint nobis; sed applicare mihi cupio illa per fidem, credendo firmiter, quod Jesus Christus dederit pro me vitam suam, & sanguinem suum. Ita cupiunt & prætendunt hæretici. Sed hæretici sunt, dum credunt, quod sola fides justificet; cum stare hæc possit in anima cum peccato mortali, & hic fides sit mortua, de qua loquitur S. Jacobus, quæ dare non potest vitam, quam non habet. Sed cæci sunt, dum credunt, fidem esse veluti manum, quæ accipiat id, quod credit, ad attrahendum illud ad se, illudque sibi appropriandum. Si non nisi credenda forent bona spiritualia vel corporalia ad possidendum illa, levi admodum haberentur pretio, & nemo remaneret pauper: fides non consistit nisi in credendo veritates, quas Deus revelat nobis; jam ipse non revelavit tibi, quod merita Passionis suæ tibi sint applicata: quando tibi revelaverit, potes id credere; & tunc applicata tibi non erunt; eò quod id credas; sed credes, quia tibi erunt applicata.

Non applicantur merita Jesu Christi per solam spem.

Non, nolo hunc modum applicationis meritorum Redemptionis mei per fidem; probè novi, illam non esse, nisi deceptionem hæreticorum; sed cupio applicare mihi illa per spem & magnam quamdam fiduciam in infinitam

ipsum bonitatem: novi, quod amet me; novi, quod dives sit in misericordia; novi, quod, quicumque speraverit in illo, non confundatur; novi denique, quod, cum mortuus sit pro me in Cruce, nolit me mori æternum in inferno. Sic Libertini & ignavi, qui semper dormire volunt in peccatis suis, colligere prætendunt fructus Passionis Jesu Christi per falsam & fraudulentam spem, quæ veræ præsumptionis non evadit notam: prætendunt, se posse esse malos cum omni securitate, eò quod Deus bonus sit; sibi metuendum non esse de peccatis suis præteritis, eò quod Jesus Christus pro iis per mortem suam satisfecerit: dicunt quoque, se deinceps committere noxas posse, quotquot voluerint, eò quod jam multo plus is solverit, quam fuerit opus ad satisfaciendum pro illis. O Deus! Nonne hoc est illudere Deo, & habere despiciatui infinitum pretium Redemptionis mundi?

Verum per hæc omnia non diceris cooperari salutis tuæ: ex adverso hæretici non invenerunt applicationem suam per fidem, & Libertini per imaginariam fiduciam suam, nisi ut liberarent se ab operatione & cooperatione per bona opera & molesta penitentia exercitia. Jam necessario cooperandum est tibi ad opus salutis tuæ, alias perficietur id nunquam;

Oportet operari cum Jesu Christo.

quam; & qui dicit, cooperari (id quod Verbum innuit) operari debet conjunctim cum alio, qui operatur, & debet amborum, ejus, qui operatur, & illius, qui cooperatur nonnisi eadem esse actio, nonnisi idem opus. Jam Jesu Christi est, operari salutem tuam, mereri, satisfacere, efficere reconciliationem tuam cum Deo Patre suo; sed tuum est, cooperari cum ipso, ut ex concursu ipsius & tuo non fiat, nisi una eademque actio, nonnisi unus idemque effectus, qui pertineat ad ambos; eoque ambobus concurrant in ipso producendo, & quilibet ad hunc contribuat ex parte sua.

Quâ ratione
& quo sensu
debeat omnis
homo ex parte
esse Salvator
sui ipsius.

Et per hanc regulam, quæ certissima est, verum est dicere, quod, si ipse operetur salutem tuam, tu opereris illam quoque cum illo; si ipse te redimat, tu quoque ratione quâdam redimas teipsum; si ipse mereatur, tu pariter merearis; si ipse satisfaciât, tu quoque facias satis; si ipsius merita, ipsiusque satisfactiones spectent ad ipsum eoque producat illas velut causa principalis, spectent ipsæ quoque ad te, eoque producas illas cum ipso, velut causa minus principalis; sed causa nihilominus realissima, quæ verum

præbeat concursum, ad producendum magnum hunc effectum. Verum est, quod omnia, quæ supernaturalia hic sunt, divina & valoris infiniti in his omnibus, proficiantur ab ipso solo; & ideo salus peccatorum non attribuitur nisi ipsi soli; sed verum quoque est, quod, dum exhibet tibi gratiam, teque associat sibi ad productionem actionum sanctarum, quibus conjunguntur merita & divinæ satisfactiones ipsius, dici possit, hæc esse propria tua merita, proprias satisfactiones tuas; sicque temetipsum esse ratione quâdam, qui opereris salutem tuam, teipsum, qui merearis, qui satisfacias pro peccatis tuis, quamvis id nunquam sit, nisi in Jesu Christo, & per Jesum Christum, sine quo nil potes facere.

Probè video, fatebatur noster Profelythus, me deceptum esse, quodque non sufficiat credere, vel confidere in misericordias Domini, vivendo otiosè, quodque necessarium sit cooperari cum Jesu Christo & contribuire operi salutis nostræ. Sed nondum intelligo, in quo consistat hæc cooperatio. Dicam tibi, audi & intellige benè.

LIII

ARGU.

ARGUMENTUM.

In quo consistat cooperatio, quæ necessaria est ex parte nostrâ ad operandum salutem nostram per merita & satisfactiones JESU Christi.

ARTICULUS IV.

Oportet nos uniri cum JESU Christo, ut cooperemur cum ipso.

POSITO ceu primo principio, quòd sinè ipso nil possis facere, sed cum ipso possis omnia. Posito ceu secundo, quòd, ut omnia possis cum ipso, id est, mereri, satisfacere & operari salutem tuam, oporteat te uniri cum illo, ea ratione, quâ palmites ununtur viti suæ, sicut ipsemet dicit, vel sicut membra corporis capiti suo: Et hæc unio fit per vincula supernaturalia fidei, spei, charitatis, gratiæ sanctificantis. Quamdiu hæc vincula subsistunt, vera hæc vitis dat omnibus suis palmitibus vitam, vigorem, & virtutem producendi fructus suos. Caput hoc adorandum effundit in membra sua influxus vitæ divinæ, & virtutem supernaturalem, per quam acquirunt capacitatem producendi in ipso & per ipsum merita vitæ æternæ, & satisfactiones in abundantia pro omnibus peccatis. Et sic promittit nobis ipsemet in Evangelio: *Qui manet in me, & ego in eo, his fert fructum multum.* Siquidem hoc est, aliquâ ratione esse ipsummet, quando quis est in ipso; & consequenter hoc est

Joan. 15.

facere omnia, quæ quis facit in virtute & per virtutem ipsius.

Sanctus Paulus loquens de Christianis, qui componunt Ecclesiam, dicit, nos omnes non esse nisi unicum & solum corpus in JESU Christo. Et Cajetanus admiratur in hoc felicitatem & sublimem dignitatem Christiani, qui cum vivum sit membrum corporis hujus Mystici, ipsemet possit reddere Deo satisfactionem æqualem injuriæ à se ipsi factæ, ob dignitatem, quam recipit à Divino suo capite. Ecce verba ipsius: *Ex Christo JESU, qui est caput nostrum, & nobis, constituitur Persona quædam Mystica. Ecce quare mea satisfactio, juncta satisfactioni JESU Christi, invenitur æqualis offensa mea, in quantum illa est facta à Persona hæc Mysticâ. Et etiam contingere poterit, ut mea solutio meum excedat debitum; Cùm satisfactiones JESU Christi, quæ sunt superabundantes, fiant meæ.*

Benè videmus, quòd tam arc-
tum, tamque forte sit vincu-
lum inter membra & Caput
nostri Corporis, ut omnia in-
ter

1. Con. 10.

Cajet. in D.
Th. 3. p. q. 1.
a. 2.

Non confi-
tuimus nisi
unicam Per-
sonam Mysti-
cam cum JESU
Christo.

Corpus My-
sticum JESU
Christi non
est Chimæra.

ter

ter ipsa sint communia, eadem vita, eadem dignitas, eadem divitiarum: Sed plures credunt non ita se habere vinculum membrorum Corporis Mystici Jesu Christi, cum divino suo capite. Videtur ipsis hoc Corpus Mysticum quamdam referre Chimæram, quæ esse non habeat nisi in imaginatione. Sed non magis est verum, quod Jesus Christus habeat Corpus naturale, formatum ex operatione Spiritus Sancti, in Virginico sinu sanctissimæ Matris suæ Mariæ, quodque immolaverit illud pro nobis in Cruce; quam verum est, ipsum habere Corpus Mysticum, suam nempe Ecclesiam, quod ipsemet formavit è proprio corde suo, in ardoribus divinæ suæ charitatis, quodque genuit in Cruce inter agonias Passionis suæ.

Jesus Christus plus amat Corpus suum Mysticum, quam Corpus suum naturale. Utrumque Corpus, naturale & Mysticum, amat is valde, ambo sunt ipsi unita intimè, & ambo ferventi prosequitur affectu. Sed clarè demonstravit, quod magis dilexerit Corpus suum Mysticum, quam corpus suum naturale, eòquod immolaverit hoc pro salute alterius. Videtur insuper, quod Corpus Mysticum magis ipsi sit unitum, quam Corpus naturale, eòquod ipse anima separata fuerit ab ipse Corpore per mortem, aliquo saltem tempore, nunquam autem

separari ipsa possit à Corpore ipsius Mystico, nec momento quidem unico. Manifestè tandem declaravit, quod magis afficiatur Corpore suo Mystico, quam Corpore suo naturali; siquidem suis, qui illius sunt membra, dicit: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei: si patiantur persecutionem, conqueritur de injuria sibi factâ & clamat è verticè cælorum: *Quid me persequeris?* Nonnè dicendum sit, vehementissimum & vivacissimum ipsum conservare affectum erga hoc Corpus Mysticum in throno gloriæ suæ, ubi doloribus Corporis sui naturalis non afficitur amplius? desuper discuro ita.

Cum mysticum Corpus Jesu Christi, cuius maximo cum honore nostro nos membra sumus, si veri simus Christiani, non minus verum ipsius Corpus, quam Corpus ipsius naturale, quod verè ipsi est unitum, cumque afficiatur eo, quod ipsum tangit, tantum & adhuc plus, quam quod tangit corpus suum naturale, sequitur evidentè, quod Corpus ipsius Mysticum non participet minus ex immensis thesauris divitiarum, gratiarum, meritum & satisfactionum ejus, quam Corpus ipsius naturale. Quid dico, minus? participat multò plus ex illis; siquidem nil promeruit pro Corpore suo

Omnes thesauri Jesu Christi, non sunt pro Corpore ipsius naturali, sed pro Corpore ipsius Mystico.

suo naturali, quàm glorificationem ejus, ipsi aliunde jam debitam ex jure gloriæ animæ suæ. Sed non promeruit pro ipso hoc meritum essenziale, quòd respicit vitam æternam; non satisfecit pro ipso, cum nil debuerit unquam justitiæ Dei, eòquòd nullum unquam habuerit peccatum: ita ut thesaurus inexhaustus meritorum & satisfactorum ipsius sit totus integer pro Corpore suo mystico: vivit ipse in omnibus membris ipsius, & omnia membra ipsius vivunt in ipso; ipse agit, ipse patitur, ipse meretur, ipse satisfacit in omnibus membris ipsius, & omnia membra ipsius agunt patiuntur, merentur, satisfaciunt in ipso.

O si veri essemus Christiani, dicere possemus omnes cum S. Paulo: Vivo ego, non jam ego, vivit verò in me Christus: id est, vivo ego, sed non vivo vitam meam propriam, Jesus Christus est, qui vivit in me, qui agit, qui patitur, qui facit omnia in me. Cessamus esse homines, & vivere velut homines, juxta proportionem, quàm efficiuntur magis Christiani, eòquòd dum Jesus Christus se magis communicat animæ nostræ; magna ipsius vita absorbeat vitam nostram & spiritus ipsius totum nostrum ebibat spiritum, ut sancti Jobi utamur verbis. Maxime congruum est verbum hoc, ad de-

Quàm ratione
Spiritus Divi-
nus Jesu
Christi ebibat
propriam
nostrum spi-
ritum huma-
num.

clarandum quàm ratione Jesus Christus fiat vita animæ relinquentis se potestati ipsius gratiæ: siquidem is trahit ipsam extra se, è statu suo purè naturali & humano; & hoc fit, quando spiritus ipsius divinus exhaurit omnem nostrum spiritum, auferens ipsi sua lumina, suas gratias, suas cognitiones, suos discursus, ordinarium suum agendi modum, omnes proprias suas operationes, & tandem aliquam ratione proprium suum esse; & anima evadit sicca, arida, exspoliata omnibus, & velut mortua, haud aliter, quàm si sol ebibisset omnem aquam, quæ fuerat in aliquo vase, illudque reliquisset siccum. Jesus Christus sic accipit animam, quando totus vult esse in illa, quando esse vult ipsius esse, ipsius vita, ipsius operatio, privat & exspoliat prius ipsam omnibus per plures mortes sibi amarissimas, & visissimas, crudelissimas; & sæpè cum non capiat consilia Dei super se, ipsa tristatur, illi resistit, seque defendit, quantum potest, contra operationem Spiritus Dei; siquidem ipsa mori non vult, nec ita permittere sui destructionem. Et innumeri, etiam viri docti, & aliam satis illuminati, sed cæci in directione Spiritus Dei super animas, ubi nihil comprehendunt, sed apprehendunt omnia velut Chimæras & meras imaginationes.

Ni-

Quomodo
Deus antihil-
lat animam,
ut ipse totus
solus sit in
illa.

Nihilominus verum est, quod, postquam anima Christiana omni studio vacat & intendit Jesu Christo, quando diu studuit conformare se illi, bene concipere ipsius spiritum, seque induere affectibus, desideriis & sensibus ipsius: Jesus Christus tandem producat in ipsa operationes tam admirandas, ut non solum sint inexplicabiles, sed etiam incredibiles iis, qui illas non experiuntur. Siquidem is ita annihilat ipsam, illamque ita exspoliat esse suo naturali; ut ipsa aliud non sit, quam ipse, ut aliam non habeat, quam ipsius vitam, ut alias non habeat, quam ipsius operationes: Qui oculos haberet ad perspicendum mira, quæ Deus operatur in fundo hujus animæ (quæ fortassis non vident Angeli ex seipsis) non ibi videret, nisi Jesum Christum. Plerumque ejusmodi Personæ semper oneratae sunt Crucibus, & ignoratur, Jesum Christum esse, qui renovet in ipsis omnia Mystera vitæ afflictæ & ærumnosa. Et hæc sunt dolores, infirmitates persecutiones, injuriæ, calumniæ, contemptus, privationes bonorum amicorum, consolationum, & denique omnis generis afflictiones in Corpore & in anima.

Natura, cui hoc placere non vult, conqueritur, & gemit, fugitque Crucem, quantum po-

test: prudentia carnis, quæ hoc Mystera do-
non capit, movetur ex eo, vellorota vitæ
ad commiserationem, vel ad Jesu Christi
contemptum, facitque quidquid adimplentur
potuerit, ut ab illo se custodiat, in Corpore
vel exinde sese eripiat. Sed anima, ipsius Mysti-
ma irradiata lumine divino, co,
aspicit hæc omnia tum in aliis, tum in seipsa, cum reverentia velut mysteria vitæ patientis & afflictæ Jesu Christi, quæ postquam impleta sint in Corpore ipsius naturali, compleantur etiam indes in Corpore ipsius Mystico, juxta hoc sancti Pauli effatum: *Adimpleo ea, qua desunt Passionum Christi in carne mea, pro Corpore eis (Mystico) quod est Ecclesia.* Et quamvis ipsa se sentiat destrui & consumi afflictionibus amaris, quas magnâ suffert cum difficultate, nihilominus felicem se æstimat ac beatam, dum intuetur adhuc Jesum Christum actualiter patientem in se, pro gloriâ Dei Patris sui, & ad perficiendum magnum opus salutis suæ in Cruce, juxta aliud effatum ejusdem Apostoli S. Pauli: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu.* Sentite in vobismetipsis id, quod Jesus Christus sentit ex amore erga nos.

Quis comprehendere possit, quantam abundantiam gratiarum, meritorum, satisfactionum complectantur omnes status Jesu Christi patientis, applicatos animæ, quæ tota est in ipso,

Lllll 3

& in

Coloss. 1.

Philipp. 2.

& in qua reciprocè ipse est; sicut ipsemet declarat nobis: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Ab initio patimur ad imitationem Jesu Christi; & hic multum est meriti: posthæc, quando progredimur, patimur in unione cum Jesu Christo; & hic multò plus est meriti, eòquòd plus contineat perfectionis, uniri cum Jesu Christo, quàm illum duntaxat sequi: Et tandem pertingimus eò, ut patiamur in unitate cum Jesu Christo, non aspiciendo nos amplius velut rem quamdam separatam vel distinctam ab eo, sed velut ipsummet, cum viva simus membra Corporis ipsius mystici, in quibus ipsemet patitur, & patietur ad adimplendam Passionem suam, Prædestinatorum Redemptionem, usque ad consummationem sæculorum. Et Deus solus cognoscit totam abundantiam, divitiarum, gratiarum, meritorum & satisfactionum, quas hic invenire licet, ubi videtur, omnia esse communia inter Jesum Christum & animam Christianam, eandem vitam, eosdem affectus, eadem lumina, easdem operationes easdem passiones, eosdem dolores, eadem merita & easdem satisfactiones.

I. Petr. 2.
v. 24.

Quando Princeps Apostolorum sanctus Petrus dicit nobis, quòd Jesus Christus pertulerit

peccata nostra, id est, pœnam peccatis nostris debitam, in Corpore suo; nonnè putatis, hoc æquè intelligi de Corpore ipsius mystico, quàm de Corpore ipsius naturali? sola pœna peccatorum nostrorum portata fuit à Corpore ipsius naturali, absque eo, quòd ipse aliquam haberet partem culpæ; tota culpa peccati erat in Corpore ipsius mystico; oportet ergò, ut pœna Corporis naturalis transeat per Corpus mysticum, ad illud purificandum & emundandum à peccatorum suorum maculis. Ecce, quare, velut unum non minus quàm alterum onerari Crucis & afflictione. Si ipse pertulit Crucem in Corpore suo naturali, dicit Corpori suo mystico: Qui non portat Crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus: si ipse fuit pauper, & expoliatus omnibus, nudus totus in Corpore suo naturali; dicit Corpori suo mystico: Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Si ipse malè fuit acceptus, contemptus, calumniis offensus, persecutionibus oppressus in Corpore suo naturali, dicit Corpori suo mystico: Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos. Si ipse pœnitentiam egit, vitamque duxit austeram in

Cor-

Joan. 15.

Diversi gradus juxta quos participamus Passionibus Jesu Christi.

Oportet omnes pœnas Corporis naturalis Jesu Christi transferre per Corpus ipsius mysticum.

Full
par
Co
tal
Ch
Co
my

Corpore suo naturali, jejunando, plorando, deserta petendo, declarat membris Corporis sui mystici, dicitque ipsis: Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Si ipse summam sustinuit humiliationem, ad nihilum quasi redactus in Corpore suo naturali, dicit Corpori suo mystico: Humiliamini sub potenti manu Dei: Amen, Amen dico vobis: Nisi conversi fueritis & afficiamini sicut parvuli (id est, humiles, sicut parvi infantes) non intrabitis in regnum caelorum.

Fulchra comparatio inter Corpus naturale Jesu Christi, & Corpus ipsius mysticum.

Considera attentè, institue comparationem inter Corpus naturale & Corpus mysticum Filii Dei: videbis unum totum obductum plagis à plantis usque ad verticem, videbis alterum totum oneratum Cruce & afflictione, à primo usque ad novissimum prædestinatorum: videbis affligi unum in omnibus suis partibus per diluvium dolorum, ad operandum redemptionem mundi; videbis cruciari alterum in omnibus membris suis per ingentem tribulationum Oceanum ad applicandum illis fructum Redemptionis. Ambo hæc Corpora, naturale & mysticum, non nisi unicum habent Caput coronatum spinis, ambo sunt æqualia: non est illorum unum totum dilaniatū crudelitate afflictionum, & alterum totum dissolutum in voluptates & delicias. Sed ambo

patiuntur, ambo, cruciantur ambo affliguntur ad promerendum regnum Dei; ambo obruntur poenis, austeritatibus & poenitentiae operibus ad satisfaciendum justitiae Dei, pro peccatis hominum. Et semper Jesus Christus est, qui patitur in ambobus, qui meretur, qui satisfacit & operatur salutem nostram; nihilominus nos quoque sumus, qui patimur, qui paremur, qui satisfacimus in ipso, & per virtutem ipsius, in Corpore suo mystico.

Et sic profitetur Ecclesia in ultimo suo universalis Concilio fidei Catholicam, quantum spectat ad satisfactiones, quas facimus Deo pro peccatis nostris, pro quibus Jesus Christus passus est pro nobis in Cruce: *Si quis dixerit, pro peccatis, quo ad poenam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis; sed neque sponte susceptis, ut jejunis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus anathema sit.* Hæc sunt verba Concilii in Sessione decimâ quartâ, Canone decimo tertio, & in sequenti, qui est decimus quartus: *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, Doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi, obscurantes, anathema sit.*

Trident. Sess. 14. Can. 13.

Est articulus fidei, quod satisfaciamus pro peccatis nostris cum Jesu Christo & per Jesum Christum.

Hic

His stantibus, dicas adhuc, interrogavit nostrum hominem Ecclesiasticus, dicas adhuc, opus non esse quidquam agere nos ipsos vel pati pro salute nostra, eò quòd JESUS CHRISTUS satisfecerit, & satisfuerit passus pro illà dicas adhuc cum hæreticis, quod sit inferre injuriam Passionem JESU CHRISTI, affirmare, agendam esse poenitentiam, eò quòd ipse satisfecerit pro nobis? Nonnè, hoc idem esset, ac dicere, non amplius esse orandum, ne fortè injuria inferatur orationi JESU CHRISTI; non amplius adorandum esse Deum, ne forsan inju-

rià afficiatur perfecta adoratio JESU CHRISTI; non amplius exercendam humilitatem vel patientiam in occasionibus aliquid tolerandi, ne fortassis injurià laessatur humilitas & patientia JESU CHRISTI. Vellesne sequi ejusmodi Evangelium?

Non respondit ipse, satisfactum est mihi Doctrinà tuà circa modum totum Catholicum & spiritualem, participandi è divinis satisfactionibus JESU CHRISTI. Sed residua sunt mihi adhuc quædam dubia, quorum à te efflagito declarationem. Liceat mihi illa tibi proponere.

ARGUMENTUM.

Per quid dimetienda magnitudo nostrarum satisfactionum: an ipsæ communicari possint aliis: ad quid sint indulgentiæ & purgatorium.

ARTICULUS V.

Valor boni operis desumit mensuram suam non ex labore, sed ex amore.

AUdivi sæpius dici per modum parcemiæ. Si habeas plus laboris, quàm alius, in faciendo bonum, habes etiam plus meriti. Sed assentiri non possum, hoc semper esse verum: video namque eos, qui ignavi valde sunt, quique parum habent bonæ voluntatis, dimidià ex parte plus habere laboris, quàm habeant alii, in satisfaciendo suæ obligationi. Nonnè hoc esset dicere, quòd, cum plus habeant laboris; plus quoque habeant meriti?

Hac ratione plus traheret quis commodi ex eo, quòd esset ignavus, quàm quòd servidus, plus lucraretur voluntatem habens languidam & infirmam, quàm habens ardentem & generosam; & imperfectissimi mererentur plus perfectissimis.

Non accipis id benè, responderet Ecclesiasticus; Non semper verum est, quòd ubicunque plus est laboris, plus etiam sit meriti. Siquidem non præcisè ex magnitudine laboris dimetienda est magni-

magnitudo meritorum vel satisfactionum, quæ inveniuntur in bonis operibus. Est magnitudo amoris, qui nostra dimittitur merita, nostras satisfactiones; hic enim valorem tribuit omnibus nostris operibus; est fervor bonæ voluntatis, hæc enim tantum habet roboris, quantum habet amoris Dei: ita ut longissime absit, quod verum sit vitiosum hoc adagium: si habeas plus laboris, quam alius, habebis etiam plus meriti; imò potius contrarium est verissimum. Si habueris minus laboris in faciendo bonum, habebis plus meriti, habes enim plus amoris Dei & voluntatem magis fervidam, quæ tibi tribuit hanc facilitatem operandi bonum. Et hæc prærogativa est perfectissimarum animarum, maximoque ardentium Dei amore, quod multò minus habeant laboris in exercitiis virtutum, & incomparabiliter plus meriti, quam alii.

In quo sensu
verum sit:
quò plus la-
boris, plus
meriti.

Plerùmque quò majora, magisque laboriosa sunt opera, tanto etiam magis meritoria sunt, magisque satisfactoria, non ex causa majoris laboris, sed ex causa, quòd major requiratur amor ad aggrediendum illa, & exantlandum illum laborem: ex pondere enim amoris Dei omnia suam desumunt mensuram; omnis actio, in qua plus erit amoris Dei, plus habebit valoris, abs eo, quòd

attendatur, an minus vel plus laboris habeat ex seipsa. Ubi plus valoris est, ibi plus est meriti; & omne opus, quòd plus habet meriti, plus etiam satisfacit pro peccata peccatis nostris debita. Amor igitur est mensura nostrorum meritorum, nostrarumque satisfactionum in omnibus iis, quæ agimus. Et ignorantia magnæ hujus veritatis decipit hæreticos, quando tam ardentem oppugnant merita humana, & satisfactiones humanas, nobisque exprobrant, quid salvare velimus nosmetipsos, & satisfacere pro peccatis nostris per satisfactiones humanas, & promereri paradysum per merita humana, quòdque hoc injuriâ afficiat Passionem Redemptoris,

Magna est malitia, vel maxima saltem ignorantia, ita loqui: Nam, ut verum fatear, nec merita humana dantur, nec satisfactiones humanæ; quia quidquid purè humanum est in nostris operibus, nil meretur, nec quidquam satisfacit coram justitiâ Dei, respectu vitæ vel mortis æternæ: non nisi divinum est, quòd meretur, quòdque satisfacit, & nihil divinum est in nostris operibus, quàm dignitas, quam recipiunt ex amore Dei, qui ipsorum est principium; & per illum omnia merita divina sunt, & satisfactiones divinæ. Sed mirum arcanum est in amore divino ad tribuendum valorem nostris bonis

M m m m ope-

operibus, ad quæ conficienda nos impellit: ipse non nisi unus est in seipso, nihilominus valdè diversus in suis est qualitatibus, & juxta hanc diversitatem tribuit etiam diversos characteres bonis nostris operibus, quæ ipsius sunt opera.

Patres vitæ spiritualis observârunt, quòd amor divinus tribus modis dominetur in animabus. Modò est amor affectivus, & modò est amor effectivus, & modò est amor patiens vel Crucifixus. Amor affectivus est totus in deliciis, in gustibus, in fervore, in solatiis, quæ magnam tribuunt facilitatem in operando bonum: Hic plerùmque est amor incipientium, quibus Deus præbet ubera & dulcedinem lactis, velut infantibus. Hic amor confert animabus magnam facilitatem in exercitiis virtutum, & omnia illa, quæ faciunt, procul dubio multum habent meriti, cum multum habeant amoris, quantumvis parum vel ferè nihil laboris habeant.

Amor effectivus.

Amor effectivus non tantum habet suavitatis, nec tantis plenos deliciis saporibus, sed plus habet roboris & fervorem magis generosum. Is totus est in labore & in difficilibus magnarum virtutum exercitiis: ipse est amor proficientium, quibus Deus incipit reddere paulisper acerbis, abundantes has divino-

rum suorum uberum consolationes, quòsque experiri permittit difficultates virtutis magis quàm antea. Ex hoc quandoque persuasum sibi habent, quòd retrocedant, & plurimum jam deciderint a primo suo statu. Sed ècontrario ipsæ magis progrediuntur, cumque non amplius infantes sint, quæ portari debeant brachiis, Deus permittit ipsas suis paulisper incedere pedibus & sufferre laborem itineris; & quia paululum fortiores evaserunt, portandam imponit ipsis portionem quamdam magis ponderosam Crucis suæ; sed suppeditat quòque ipsis plusvirium, juxta proportionem majoris ipsis inpositæ molis. Omnia quæ faciunt in hoc statu, procul dubio, longè plus habent meriti, quàm habebant in alio, non solum, quia plus laborant, sed quia multò plus diligunt & amant.

Tandem amor patiens vel Crucifixus spoliatus est omnibus: non habet is amplius nec dulcores, nec consolationes, sicut amor affectivus; nec vires sensibiles aut fervorem generosum, velut amor effectivus. Ipse totus est in fastidiis, in repugnantibus, in Crucibus, in impotentia præstandi aliquid boni. Videtur animæ in hoc statu, se perdidisse omnia, seque delapsam esse in profundam abyssum perditionis,

co-

èdquòd nil ampliùs habeat refiduum nec devotionis, nec fervoris, nec bonorum exercitiorum, nec quidquam, nisi fastidia, videndo se tam miserabilem, postquam fuerat tam beata, nec aliud, quàm voluntatem, quàm velit esse Dei. Sed videtur ipsi, hanc non esse voluntatem, nisi ignavam & inutilem, sibi que esse impossibile, ut ipsa sit Dei, èdquòd nil valeat præstare boni; & hoc est, quòd totam constituit Crucis ipsius molem. Et Deus, qui sibi complacet ita videre ipsam, non permittit, ut videat, quòd nunquam fuerit in meliore statu, quòdque nunquam amaverit amore magis puro, magisque forti, èdquòd amor hic patiens sit & Crucifixus, qui est amor animarum perfectarum.

Excellentia & puritas amoris patientis.

Eheu! nisi ipsa ardentè amaret Deum, non ita torqueretur, sicut torquetur, ex eo, quòd credit, se ipsum amare non posse. Si non desideraret ex animo placere ipsi, non tam sævo afficeretur dolore, sicut afficitur, dum conspicit, se facere nil posse, quòd ipsi placeat. Si Deus non esset unicus ipsius amor, solum ipsius desiderium, solumque ipsius solatium, ipsa tota, sicuti est, non foret desolata. Sed impossibile est, recipere aliundè aliquid solatii, cum cætera omnia non habeat cordi, cum non amet nisi Deum, cum nil velit, nisi illum,

cum nil desideret, nisi ipsum solum; verum de hoc nil novit ipsa, quòd etiam est causa, cur maneat destituta solatio. Nihil est purius, nihil divinius, nihil admirabilius hoc amoris genere, quòd tam amarum videtur animæ, èdquòd ipsius non agnoscat pulchritudinem. Nullum habet ipsa solatium faciendo aliquid bonum, sed merum fastidium non faciendo, & non tolerando nisi malum videtur ipsi. Et in hoc amat ipsa amore prorsus pœnoso & in Crucem suffixo. Sed hoc totum, quòd patitur in hoc statu, est valoris & meriti inæstimabilis coram Deo, èdquòd ex una parte molestissimos exantlet labores, & ex altera amet amore, qui sibi non habet æqualem.

Videbatur benè, quòd noster homo hæc audiens, non esset satis spiritualis, ad capiendum illa: siquidem citra id, quòd penitentiùs consideraret ingentem thesaurum meritorum & satisfactionum, quibus locupletare se possunt animæ, quæ amant tam pœnoso amore; ecce tibi questionem, quam proposuit pro nostro Ecclesiastico. Aveo scire, mi Domine, an possimus mereri vel satisfacere tum pro aliis, tum pro nobis. Vidi non paucos, qui jejunabant, dabant elemosynas, agebant pœnitentiam pro aliis, persuasi insuper animo, se

Quæ bona spiritualia communicare nobis injuriam possimus.

M m m m m 2 per

per talia liberare posse animas è purgatorio; nec defuerunt alii qui lucrabantur indulgentias, tum pro se, tum pro amicis suis. Quid hoc sibi vult innuere? An sic succurrere possumus utrique tam ex corporalibus, quam spiritualibus nostris bonis?

Quis dubitat, respondit Ecclesiasticus, quia omnis generis bonum est communicabile; & si incumbit divitibus, qui abundant bonis temporalibus, facere elemosynas indigentibus; cur verum non sit, quod, qui abundant bonis spiritualibus, possint ac debeant horum participes reddere eos, qui illorum laborant penuriâ? Nihilominus distinguendum est inter merita & satisfactiones. Merita respiciunt acquisitionem beatitudinis; satisfactiones respiciunt liberationem à pœnis, quæ nostris, debentur peccatis. Nunquam accumulare possumus merita nimia ad acquirendam beatitudinem. Ecce quare Deus noluerit, ut mereri possimus pro aliis, quod pro nobis ipsis. Nemo unquam fuit, nisi Jesus Christus, qui largiri potuit omnia hæc merita hominibus, eò quod is non indigerit illis pro seipso. Sed nos tamen accumulare possumus plures satisfactiones, quam indigeamus ad solvendas pœnas peccatis nostris debitas. Ecce quare Deus voluerit, ut satisfactiones nostras

communicare possemus aliis, vel nos illis voluntariè privare ex charitate, illasque donare aliis, quando etiam nobis forent necessariæ.

Ecce, quare pœnitentiam agamus pro aliis, id est, jejunemus, nos maceremus, exolvamus in corpore nostro pœnas debitas illorum peccatis. Ecce quare lucratur indulgentias, non solum pro nobis ipsis, sed etiam pro aliis, sive vivis, sive defunctis animabus in purgatorio. Reperire est, qui ex devotione & charitate cedant animabus purgatorii, quidquid satisfactorium in suis habere possunt operibus. Vide sextum ex *exercitiis Christiani Interioris*, quod docet modum, & illius demonstrat utilitatem.

Sed tandem, quid sunt indulgentiæ, quas lucratur pro nobis ipsis & pro aliis? Est articulus fidei, quod potestas indulgentiarum relicta sit à Christo Jesu Ecclesiæ suæ, quodque illarum, usus utilis sit populo Christiano. Hæc propria sunt verba professionis fidei nostræ. Habemus thesaurum infinitum meritorum & satisfactionum Jesu Christi; quilibet haurit è thesauro meritorum Redemptoris, illaque sibi appropriat per media, quæ exposuimus in præcedenti consultatione, & omnia ipsius merita ita manent ipsi soli, ut communicare illa non possit aliis.

Sed

Quid sint indulgentiæ & purgatorium.

To
JE
ob
tr
si

Sed eodem tempore haurimus e thesauro divinarum satisfactionum ejus, eâ ratione, quam modo explanavimus loquentes de Corpore mystico Jesu Christi; & esse poterit, quod plures sanctæ animæ ex illo acquisiverint sibi plus, quam indigeant ad satisfaciendum cunctis pœnis, quæ suis debentur peccatis. Quod superabundat, manet in thesauro spiritali Ecclesiæ, qui propterea compositus esse dicitur ex satisfactionibus Jesu Christi & Sanc-

torum; & exinde hauriuntur indulgentiæ, quæ aliud non sunt, quam solutio omnium pœnarum, quæ debemus justitiæ Dei pro peccatis nostris, Papa, qui velut caput visibile totius Ecclesiæ, est dispensator omnium ipsius thesaurorum spiritalium, concedit nobis indulgentias vel plenarias, vel limitatas, prout expediens judicaverit secundum Deum. Sufficit de hoc argumento.

CONSULTATIO XXV.

De Jure, quod Jesus Christus acquisivit super nos, deque Diversis Titulis, quos gerit respectu nostri.

Toti sumus
Jesu Christi
ob magnas
tres obligaciones,

Grandis erat fiducia, juxta opinionem S. Bernardi, quando S. Petrus Apostolorum Princeps, loquens nomine aliorum omnium, dicebat Jesu Christo: Ecce reliquimus omnia, quid ergo erit nobis; omnia reliquimus, ut sequeremur te, quid ergo dabis nobis proemii? Itane? loquimini de premio, quasi divinus Magister vester obligatus foret vobis, quando nec minimam exhibuistis obligationis vestræ partem, quæ ipsi obstricti estis? An ignoratis, quod jura, quæ habet in vos, tam magna sint & ampla, ut nullo arctentur sine? Considerate illorum solummodo

tria, & cetera relinquit omnia.

Inprimis est Creator vester, ipse est, qui eduxit vos e profunda abyssu nihili, undè exiissetis nunquam absque ipso: Eratis nihil, & nihil merebamini, & ex sola sua bonitate vos fecit, quod estis, & quidquid habetis, dedit vobis; consequenter debetis ipsi omnia, & ipse nil debet vobis. Probè novi, totam adorandam Trinitatem esse, Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, quæ dederit esse vobis per Omnipotentiam sibi communem; nihilominus verum est, quod Jesus Christus, qui secunda Persona est, contribuerit illuc, secundum nostrum intelligendi

Inprimis est
Creator nos-

M m m m 3 mo-